# QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

MANE DISCUTIENDA

## IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis 31. Decembris.

## M. HERMANNO DE LAUNAY

DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

*An Arthritide laborantibus Opium?*

I.

FOELICEM admodum vitam natura nobis non promisit, quæ primum nascentium omen fletum esse voluit. Hoc principio edimur: huic omnis sequentium annorum ordo consentit. Innumeri prope morbi, quibus obnoxia est, tranquillitatem ejus interturbant, ex ipsaque tandem aliquando discedendum esse admonent. Hos inter Arthritis, quos semel invasit, sævissime cruciat. Acerbissimus est articulorum dolor ex intervallis invadens. Qualibet anni tempestate corripit securum. Sæpius vere & autumno furit. Nusquam articulos omnes simul occupat. Modo plures, modo unum, deinde alterum successive obsidet, quemque uno pede liberum dimisit, ex improviso sæpe altero retinet. Si manuum articulos infestet; chiragra. Si pedum; podagra. si coxendicum; ischias appellatur. Quandoque tumore, rubore, calore conspicua est; quandoque dolore solo se prodit. A parentibus una cum vitâ sæpe transmittitur in liberos, in iisque semen ipsius diu latitat & obdormiscit, donec ab aliis causis vis ejus exsuscitetur. Non rarò sine parentum labe, vini venerisque abusu contrahitur rarius insontes sponte divexat. Viros post veneris usum frequentius adoritur. mulieribus eunuchis & impuberibus pueris aliquando non parcit. Ejus signa omnibus manifeste patent. antecedens causa tenebris involuitur. quanam in parte fermentum lateat tuto non decernes, nec si lynceos oculos habeas, agendi modum reteges. nos proximam continentemque causam cum Hippocrate statuimus pituitam & bilem.

I I.

UBI primum pituita tenuis & acida in articulos defluxit, eamve sanguis quem infestat, ephemeræ febris salutari motu in eosdem deposuit; si sincera solaque fuerit neque tumorem parit, neque calorem aut ruborem inducit; dolorem tantummodo pro ratione aciditatis majorem vel minorem infert: si pituitæ crassæ & insipidæ permisceatur, viribus ejus obtusis, partis affectæ motum impedit cum dolore obscuro. Si tenui & volatili bili accedat, juxta naturæ necessitatem statim effervescit, eoque effervescentiæ motu partes in tumorem attollit, ruborem accersit, calorem accendit, suisque & subtilissimæ bilis aculeis atrocissimum dolorem excitat, atque nisi exinde una cum bile tota per transpirationem avolet, defervescendo nativum gluten articulos lubricans inquinat ipsumque juxta acidorum naturam cogit & sensim indurat. Hinc in ipsis tophacei nodi, hinc eorum distortio, hinc impeditior motus. Quandiu acidus iste liquor statimatque genitus est propellitur in articulos, nihil lethale metuendum: sin vero in sanguine remanserit hospes, aut vasis quibus exonerabatur obstrudis, aut visceribus ætate languidis ac tandem fatiscente naturâ, fiatque ad partes superas putâ pulmonem aut cerebrum anadrome; etsi prompte succurratur certa mors ut plurimum exspectanda. Levi quaque morâ totam ejus molem acore suo inficit; hinc hepatis, pulmonum cerebri aliorumve viscerum in quibus decubuerit corruptela, tandemque hominis non diu protractus interitus. Ideo nocent Arthriticis spiritus vitrioli, sulphuris nitri, herbæ acidæ, acidi fructus, vina alba, acidula, patum spiritus, multum aceti continentia. Uno verbo acida. Nocent exterius emplastica omnia quæ transpirationem impediunt, juvant contra quæcunque cutem facile permeando, effusum in articulis liquorem acidum combibunt ac destruunt. Caphura, quæ fere tota sal est volatile, in aqua stillatitia spermatis ranarum dissoluta fotuque sæpius adhibita eo consilio mire prodest. Juvant interius quæcunque succi illius acidi generationem prohibent aut genitum emendant ac extingunt. Hinc salia volatilia ab animalibus deprompta proficiunt. hinc plantæ quoque utiles sale volatili præsertimque oleoso abundantes atque adeo Opium præ cæteris omnibus, promptissime auxiliatur.

I I I.

OPIUM succus est viscosus è papaveris sativi inciso capite guttatim stillans, brevique concrescens. Thebaïcum ab authoribus præfertur ob soli conditionem aut singularem incolarum industriam. Optimum censetur ponderosum & densum, gustu amarum & acre, linguam mordicans fereque inflammans, odore gravi & soporifero, quod dum colatur nec ceræ instar coeat, nec ad solem liquetur. Nec accensum atrâ luceat flammâ, extinctum denique integrum servet odorem. His dotibus legitimum apud nos vix reperitur, cujus in locum advehitur meconium sive succus è contusis papaveris capitibus & foliis expressus opio virtute inferior. Qualecunque sit non est medicamentum frigidum sed impense calidum. Orientis incolæ, Turcæ præsertim & Persæ qui illud ad drachmam usque

& amplius pluries fine noxâ quâque die devorant, ipſum nullius veneni reum eſſe ſatis oſtendunt. Intempeſtive aut largiori doſi exhibitum nocet, ſicut & quævis alia quantumvis optima. Ubi prudentis medici manu præſcribitur eximiunt eſt medicamentum. Quanquam odore ſaporeque ingratum ſit, ſine tamen ulla odoratus guſtuſve offenſione deglutitur. Semel intus aſſumptum nullam vim moleſtiamve infert. Placidiſſimam quietem vitæ conſervandæ adeò neceſſariam conciliat, ut inde alacrior animus vegetiuſque corpus reddatur. Quinet copioſum ſudorem ſine virium exolutione prolicit. Imò quod nulli fere alteri conceſſum eſt, tum acidæ tenuiſque pituitæ ſanguinem & corpus inficientis aculeos obtundit; tum bilis juſtò plus amaræ acrimoniam infringit & lenit; tum utriuſque ſimul permixtæ effervefcentiam mire compeſcit.

IV.

OPII eximiæ vires à ſale volatili, oleoque nobili hypnotico ac ſpiritus inſtaurante, quibus abundat, procedunt. Salis copiam patefacit inſignis cum acrimoniâ quâdam amaror; hypnoticum oleum demonſtrat pinguedo flammam concipiens cum odore gravi ſomnum provocante. Qui ipſum diligenter torrent, donec tætrum ut aiunt vaporem depoſuerit, dein aceto acerrimo ſoluunt, plurimum laboris impendunt, ut quod optimum habet, deſtruant. Quo curioſius hac arte præparatur, eo deterius eſt uſibuſque quibus deſtinatur minus idoneum. Dum torretur, ſal volatilior ſubtiliuſque oleum avolant: quod reliquum eſt aceti ſpiritu acido infringitur. Qui Moſchum, Ambram, quintam eſſentiam auri, gemmas, Margaritas, Beſoard, unicornu, corallos, mumiam tranſmarinam, os de corde cervi, crocum, olea caryophillorum, cinnamomi, cæteraque id genus ſive cardiaca, ſive aromatica, quæ correctiva audiunt, admiſcent, fucum facinnt & impoſturam. Si lachyma opij ſincera qualis ſponte è papaveris inciſo capite ſtillat, præ manibus haberetur, nulla præparatione opus eſſet; meconium quo utimur, quoniam fæcibus inquinatum, purgandum eſt. Primo aquâ tandiu ſolvendum, donec nihil quidquam amplius tincturæ eliciatur; dein reſiduo quod aqua reſpuit, affundendus ſpiritus vini quantum ſatis. Alterâ hac ſolutione peractâ ambæ tincturæ miſcendæ ſunt, atque ſecundum artem ad debitam conſiſtentiam redigendæ. Iſtâ methodo quidquid eſt in meconio laudabile, extrahitur & à ſordibus ſecernitur. Quæ pars copioſiori ſale referta eſt, aquâ ſoluitur: quæ oleo magis abundat ſpiritu vini diluitur. Illa genitum in corpore noſtro ſpiritum ſuccumve acidum interimit & foras ejicit, Iſta bilis acrimoniam prompte obtundit, ejuſque effervefcentiam acido excitatam fœliciter coërcet.

V.

ITAQUE Arthritidi præmiſſis generalibus præſidiis feliciter opitulatur Opium, dum vires vigiliis fatigatas provocato ſomno recreat, ſpiritus diſſipatos colligit, dolores, quibus indeſinenter cruciantur, jucundiſſime ſedat. Neque Arthritidi ſolum, ſed & innumeris aliis morbis eâdem virtute medela eſt. Præſens eſt ac certum auxilium dentum doloribus, colicis cruciatibus, dyſenteriæ, alui profluviis ab humorum acri-

moniâ nascentibus. Sanguinem è naribus, pulmone, ventriculo, uterove immodice fluentem sistit, febrium ardores extinguit, mamiam phrenitim, cæterosque congeneres affectus reprimit. Verbo dicam morbis omnibus sive ab acidâ pituitâ, sive ab acri bile, sive ab utriusque effervescentiâ productis interdum auxiliatur. Ad grani unius quantitatem exhibitum, si sperato cadat effectu, duo triave immo plura addantur, quæ si sensim & per gradus adaugeatur, extra aleam omnem res erit constituta. Sapientis tamen medici manu, qui & ægri temperiem attentè observet & medicamenti naturam perfectè cognoscat, semper exhibeatur. Non offeratur statim à cibo, sed duabus saltem horis post pastum, alvo prius clystere solutâ, si fuerit adstrictior. Ab eo prorsus caveatur in iis quibus per somnum periculum suffocationis imminet, multoque magis in quibus vitalis ignis tenue & extremum vitæ lumen spargere judicatur; ne imprudentiâ medici infametur nobile præsidium quod tam multis potest esse saluti. Et vero non quia solummodo anodynum est, sensumque flallit, Arthritidi prodest, sed quod doloris etiam Arthritici causam submovet, dum acidi liquoris, amaræque bilis pungentes aculeos obtundit, effervescentiam inde excitatam compescit, hosque ipsos humores Arthritim committentes provocato sudore plane exhaurit & extra corpus ejicit.

*Ergo Arthritide laborantibus Opium.*

## DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

| | | |
|---|---|---|
| *M. Claudius de Frades.* | *M. Nicolaus Lienard. Chirurg. Professor.* | *M. Philip. Hard. de S. Iacques* |
| *M. Ægidius le Bel.* | *M. Philippus Douté.* | *M. Claudius Quiquebeuf.* |
| *M. Abrahamus Thevart.* | *M. Nicolaus Morin.* | *M. Franciscus Pijart, Antiquior magister.* |

Proponebat Lutetiæ GUILLELMUS LAMY Constantiensis, A. R. S. H. MDCLXXI.

---

PARISIIS,
Ex Typographiâ FRANCISCI MUGUET, Regis & Illustrissimi Archiepiscopi Typographi, viâ Citharæ.